

glorificatione: (Ib.) quia bonum, ad quod terminatur creatio, est bonum naturae mutabilis; bonum, ad quod terminatur justificatio, est bonum aeternum in spe; bonum autem, ad quod terminatur glorificatio, est bonum aeternum in re. Si tandem justificatio spectetur juxta proportionem illius, qui justificatur, est majus opus glorificatione; quia donum gratiae plus excedit dignitatem impii, qui erat dignus poena, quam donum gloriae dignitatem justi, qui erat dignus gloria. (Ibid.)

Petes 3. Utrum justificatio impii sit opus miraculosum? R. Justificatio impii, (Ibid. art. 10.) prout fit communiter, potest dici mirabilis; quia, quae sola virtute divina fieri possunt, habent causam occultam, & hac ratione sunt mira. Non tamen

potest dici miraculosa; quia ad miraculum proprie dictum non sufficit, quod a solo Deo fieri possit, sed debet esse praeter communem divinae providentiae cursum, ut resurrectio mortui, illuminatio caeci nati. Justificatio autem, prout fit communiter, est secundum communem providentiae supernaturalis cursum: est enim communis & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam perveniat. Quando autem Deus praeter hunc communem cursum subito movet ad perfectam justificationem, ut Paulum & Magdalenam, tunc justificatio potest dici miraculosa.

DISSERTATIO VIII. DE MERITO JUSTI.

D. Thom. Quest. 114.

Alter divinae gratiae effectus est meritum; cum enim operari sequatur ad esse, ex hoc quod gratia hominem justum & sanctum constituat, sequitur, quod per eam radicaliter opera justa & sancta, proindeque meritoria fiant. Igitur de merito acturi, sit

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit meritum; quas condiciones requirat?

Meritum, latius sumptum, significat dignitatem rei, ob quam exigit aliquid, & sic convenit etiam inanimatis: sic dicitur, quod elegans pictura mereatur videri; quod ager fertilis mereatur coli. Meritum, proprie sumptum, convenit actibus tantum, estque proprietas actus humani moraliter boni dicens proportionem ad praemium; loquimur enim hic de merito in bonam partem, non in malam, quod distinctionis causa dicitur demeritum.

Duplex distinguitur meritum; unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno est opus, cujus valor aequat valorem praemii, & cui redditur praemium ex justitia. Meritum de congruo est opus, cujus valor non aequat valorem praemii, & cui non debetur praemium ex justitia, sed ex congruitate tantum & decentia, amicitia, seu liberalitate praemiantis. Meritum de condigno est proprie & simpliciter meritum; meritum de congruo improprie tantum & secundum quid; quia non habet aequalitatem ad id, quod ejus intuitu datur. Exemplum ponit in milite generoso, cui proprium stipendium datur de condigno, de congruo autem beneficium nobilitatis, aut aliquod donativum a Rege. Meritum de condigno est duplex, unum de rigore justitiae, aliud de condignitate tantum. Primum sic importat valorem aequalem ad praemium, ut excludat omnem gratiam factam personae merenti a praemiante, & tale fuit meritum Christi. Alterum importat quidem valorem aequalem ad praemium, sed supposita aliqua gratia facta personae merenti a praemiante; & de hoc merito apud Deum hic praecipue agitur.

Conditioes requisitae ad meritum.

SIX condiciones requiri solent ad meritum. 1. Ut opus sit liberum: 2. Ut sit bonum: 3. Ut fiat in obsequium praemiantis: 4. Ut operans sit viator: 5. Ut sit in statu gratiae: 6. Ut ejus opus sit a Deo ordinatum in praemium.

Quatuor primae condiciones expenduntur.

Prima conditio, (Quest. 6. de malo art. unico.) scilicet ut opus sit liberum, est de fide ex damnatione 3. propositionis Jansenii, & longe ante tradita a D. Thom. loco cit., ut late vidimus in Tract. de Act. hum. Ratio est: Quia in tantum aliquis meretur, seu est praemio & laude dignus, in quantum est auctor sui operis, & aliquid ponit de suo in obsequium praemiantis; est enim inter merentem & praemiantem quasi contractus, ut merens exhibeat suum obsequium, & praemians tribuat mercedem; atqui homo non est auctor nisi operis liberi; in necessariis enim potius agitur, quam agat, neque suum reputari debet, nisi id cujus habet dominium, 10. Ius autem actus liberi habet dominium: ergo. Adde, quod meritum sit proprietas actus humani; non est autem actus humanus sine libertate indifferentiae, ut suo loco diximus. De libertate

Christi in adimplendo praeepto Patris, dicemus dum de Incarnatione.

Secunda conditio, ut sit opus bonum. Patet; quia opus malum est poena, non praemio, dignum; opus autem indifferens non datur in individuo, & si daretur, neque praemio, neque poena foret dignum. Et cum hic agamus de merito boni supernaturalis, non sufficit qualicumque bonitas moralis, sed debet esse ordinis supernaturalis, quia media debent esse proportionata fini: meritum autem se habet ad praemium, ut medium ad finem.

Tertia conditio est, ut opus fiat in obsequium praemiantis; (Hic quest. 21. art. 3. o. & 2. 2. quest. 104. art. 3.) quia alioquin non esset ratio, cur ab eo expectaretur retributio, neq. ullo jure posset ab eo exigi. Adde, quod, si opera nostra non referantur ad Deum, non sunt ordinis supernaturalis, cujusmodi debent esse, ut sint meritoria boni supernaturalis.

Quarta conditio est status viatoris: (1. part. quest. 62. art. 9. ad 3.) hanc aperte innuit Scriptura: Eccles. 11. In quocumque loco ceciderit lignum, ibi manebit. Joann. 9. Venit nox, id est, mors, quando nemo potest operari, nempe meritorie. Unde Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. 2. Cor. 6. Omnes nos oportet ad stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Eccl. 9. Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem; super quae verba Hieron. dicit: Mortui nihil valent ad id adhibere, quod semel secum tulere de vita. Aug. in Ench. c. 110. Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quisquam, vel gravari. Nemo a se speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Et alibi. Ratio solet adferri, quod meritum sit motus & via ad praemium tanquam ad terminum: ergo adepto praemio, cessat meritum, sicut via assecuto termino finitur, pugna desinit, porta victoria. Verum hac ratio probat quidem Beatos non posse mereri beatitudinem essentialem, quam habent; at non probat non posse mereri vel ejus augmentum, vel aliquid aliud accidentale, quod non habent: item nihil probat de animabus in Purgatorio detentis, quae nondum sunt assecute terminum. Unde videtur, quod non sit alia ratio hujus conditionis, quam voluntas divina, quae nobis innotescit ex Scripturis, Patribus, & communi sensu Ecclesiae. Idque convenienter naturae hominis, cui connaturale est, ut in statu conjunctionis suam perfectionem acquirat, & in quo plures habet occasiones merendi & pugnandi pro praemio vitae aeternae.

Quinta conditio expenditur.

Quinta conditio est status gratiae. (Hic quest. 114. art. 2. o.) Colligitur ex Scriptura, quae passim docet opera hominis esse mortua, nisi vivat per charitatem. 1. Cor. 13. Si charitatem non habuerit, nihil sum... nihil mihi prodest, &c. Charitas autem non est sine gratia sanctificante. Item colligitur ex Trid. Sess. 6. c. 8. ubi dicitur, nihil eorum, quae praecedunt justificationem, sive fides, sive opera, mereri ipsam justificationis gratiam: ergo multo minus gloriam, quae est gratia consummata. Huc etiam faciunt sequentes Propositiones Balanz, damnatae a SS. Pontificibus. 12. Pelagus sententia est opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Caelestis meritum. 13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda fidelium, sed tantum ex eo quod sint conformia legi. 15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum S., sed in eo solum quod obediat legibus. Item 17. & 18. Ratio est 1. In tantum homo est capax merendi apud Deum, in quantum est consors vitae & naturae divinae; cum enim operatio sequatur esse, non potest opera Deo digna facere, nisi vivat vita Dei, & ad ejus naturae consortium elevetur; sicque ex conditione servi transferatur ad conditionem filii & amici; atqui per solam gratiam sanctificantem fit consors vitae & naturae divinae, ut alibi probatum est: ergo. 2. Impossibile est, quod persona Deo exosa & inimica, qualis est peccator, faciat opera illi grata; cum Deus prius respiciat offerentem, quam ejus munera: Respexit ad Abel, inquit Scriptura Genes. 4. & ad munera ejus. 3. Licet meritum fundetur in opere, est tamen praecipue in persona operante; est enim jus personae ad praemium propter opus; atqui homo in statu peccati, cum sit inimicus & injuriosus Deo, non est capax juris ad nova beneficia ab eo obtinenda, cum e contra mereatur privatiis, quae habet, juxta illud Ezech. 18. Si justus fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: ergo.

Dices 1. Vita aeterna promittitur servantibus mandata, Matth. 19. ergo ad illam merendam non requiritur status gratiae. 2. Opus malum meretur poenam sine habitu malitiae: ergo bonum opus meretur praemium absque habitu gratiae. 3. Homo in statu peccati potest per poenitentiam sibi injunctam satisfacere: ergo & mereri. 4. Homo potest mereri apud alium hominem, etiamsi sit ejus inimicus: ergo similiter apud Deum. 5. Nihil repugnat opera naturae bona moraliter ordinari ad praemium; imò videtur decere divinum bonitatem & largitatem, ut homini secundum naturalem virtutem bene operanti bona supernaturalia rependant. 6. Tandem: posita hac conditione ad meritum, frustra peccator bonis operibus incumbit, frustra orat, jejunit, eleemosynam facit, &c. facilliterque Scripturae istis operibus promittit remissionem peccatorum, ut Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime. R. ad 1. vitam aeternam promittit servantibus divina mandata, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, qui non habetur sine gratia, vel suppositis aliis conditionibus requisitis: vel promittit vitam aeternam servantibus mandata, sicut promittit remissionem peccatorum, suppositis scilicet aliis conditionibus requisitis. Ad 2. N. Conseq. Quia plus requiritur ad bene & meritorie operandum, quam ad male agendum. Aliunde peccatum mortale ex se habet condignitatem damnationis aeternae, bonum autem opus non habet sine gratia condignitatem vitae aeternae, ut patet ex dictis. Ad 3. dato Ant. de quo disputatur in Tract. de poenit. N. Conseq. Disparitas est, quod satisfactio attendatur penes aequalitatem poenae ad culpam, meritum autem penes condignitatem tam operis, quam operantis, ad praemium. Ad 4. D. Ant. Homo potest mereri apud alium hominem, etiamsi sit ejus inimicus, si merces attendatur praecise ut debita operi & ratione operis, C. Quia tale meritum fundatur in solo opere independenti a conditione operantis; quale meritum potest esse apud homines, sed non apud Deum. Si non solum attendatur merces ut debita operi & ratione operis, sed quod opus sit gratum & acceptum apud alium, N. Tale autem est meritum hominis apud Deum: & hoc sensu dicit S. Thom. hic art. 2. ad 3. quod etiam homo ab alio mereri non potest, quem offendit, nisi prius ei satisfaciens reconcilietur. Ad 5. N. Ant. si agatur de merito condigno; repugnat enim rerum naturae ea, quae sunt ordinis inferioris, ordinari ut merita condigna ad bona supernaturalia. Si autem agatur de merito congruo, repugnat ordini divinae Providentiae, qui nunc est, secundum quem omnia fiunt in numero, pondere, & mensura, providens media finibus proportionata, nec dans gloriam nisi iis, quos prius dignos fecit per gratiam. Ant vero possit absolute mutari talis ordo; nihil refert ad propositum. Ad 6. N. Sequelam. Quamvis enim bona opera ante justificationem non sint strictè meritoria, si tamen fiat per voluntatem inchoatam se convertendi ad Deum, gratia auxiliante excitata, sunt preparatoria ad gratiam, & illius imperatoria. Et hoc sensu Scriptura ea commendat, iisque peccatorum remissionem promittit. Quantum vero ad alia opera ex objecto bona, quae faciunt peccatum, non ex affectu ad peccatum, sed tamen retinendo illum, quamvis sint minus utilia, non sunt tamen omnino inutilia; prosunt enim, ut videntur nova peccata, & minor impedimenta opponantur gratiae.

Explicatur sexta conditio.

Sexta conditio est ordinatio, seu promissio, & pactum Dei ordinantis bonum opus ad praemium, seu mercedem: (Hic art. 1. ad 3. & art. 2. o.) Non quod bonum opus valorem, seu condignitatem suam intrinsecam habeat ab illa promissione;

sed quia ultra dignitatem, quam totam habet ex gratia, necessaria sit promissio de mercede reddenda ad hoc, ut qui ex gratia est bene operatus, habeat jus ad mercedem, & Deus obligetur illi reddere. Ita communiter contra Vazquem, & quosdam alios. Prob. 1. ex Scriptura, Matth. 20. Paterfamilias, per quem significatur Deus, conventionem fecit cum operariis de denario diurno. Jacob. 1. dicitur: Qui suffert tentationem, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Similiter Apost. Hebr. 6. & 9. Idem significant aliae Scripturae, quae dicunt vitam aeternam reddendam esse tanquam coronam justitiae, & a justo iudice, Matth. 19. 2. Tim. 4.

Prob. 2. ex Conciliis & Patribus. Trid. Sess. 6. c. 16. dicit: Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Concil. Moguntinum ann. 1549. cap. 8. dicit bona opera esse digna vita aeterna; tum quia Deus bene operantibus & in ipso sperantibus mercedem misericorditer promittit; tum etiam quia ejusmodi justificarum opera gratis Dei effectus sunt. August. Serm. 16. de verbis Apost. Deus debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Et in Psalm. 83. Debitorem Dominus ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, redde, quod accepisti; sed redde, quod promissisti. S. Thom. cit. in nota: Meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis.

Prob. 3. Ratione. Meritum importat in merente jus ad bonum praemiantis, & in praemiantem obligationem ad illud reddendum; atqui, quantumvis sit bonum opus hominis, non potest, seclusa Dei promissione, parere in homine jus ad bonum Dei, neque in Deo obligationem ad illud reddendum: ergo. Prob. Min. Ex bonis operibus jam aliunde debitum Deo homo non acquirit jus erga Deum, nec Deus obligatur reddere illi aliquid praemium, nisi illud promiserit; atqui omnia quaecumque bona hominis sunt debita Deo pluribus aliis titulis, puta creationis, supremi domini, ultimi finis, &c. ergo.

Confirm. 1. Servus, quantumvis laboreet, non meretur mercedem a domino, nisi dominus illi promittat; quia omnia ejus opera sunt domini; atqui sumus servi Dei, & omnia opera nostra illius sunt: ergo. Confirm. 2. Bona opera Beatorum & animarum in Purgatorio non sunt meritoria, quia Deus illa non ordinat, nec acceptat ad praemium: ergo. Neque dicas, id oriri, non ex defectu ordinationis, sed ex defectu status viae. Ideo enim oritur ex defectu status viae, quia Deus extra statum viae bona opera non ordinat, nec acceptat ad praemium; posset enim, si veller; quia, ut diximus, status viae non ex natura rei, sed ex voluntate Dei requiritur ad rationem meriti.

Dices 1. Juxta D. Thom. supra quest. 21. art. 4. ad 3. actus bonus, vel malus est meritorius, vel demeritorius. 2. Opus esse meritorium est illud esse condignum ad mercedem; atqui opus bonum ex se habet, quod sit condignum ad mercedem & non ex ordinatione, seu promissione divina: ergo. 3. Inter homines non requiritur promissio, seu pactio de mercede, sed sufficit, quod dominus jubeat operarium laborare; aut etiam, si non jubeat, quod approbet ejus laborem. 4. Pactum istud deberet innotescere operantibus, & esse ab eis acceptatum, ut opera eorum forent meritoria; multi autem illud ignorant: ergo. R. ad primum, bonum opus esse quidem meritorium, si tamen condiciones aliunde requisitae ad completam rationem meriti adsint, quarum una est, quod ordinetur a Deo ad praemium: alioquin sequeretur, quod bonum opus in peccatore, vel in Beato esset meritorium; quod non admittit S. Thom.

Repones: Malum opus est meritorium poenae independenti ab ordinatione judicis: ergo similiter bonum opus &c. R. dato Ant. N. Conseq. Disparitas est 1. quod offendens ipsa sua offensione ledat jus alterius, ex quo sine pactioe nascitur obligatio illud resarciendi; ex hoc autem quod quis bonum opus faciat, nihil accrescit Deo, & istud bonum est aliunde ipsi debitum. 2. Quia ad meritum requiritur, quod in merente sit jus exigendi mercedem, & in altero obligatio reddendi, Deus autem non obligatur nisi sibi ipsi, & hoc ratione suae promissionis. At ad meritum poenae non requiritur, quod unus sit debitor ad poenam inferendam, & quod alter habeat jus illam exigendi. (2. 2. quasi. 13. art. 4. ad 2.) Omnia si Ant. quia in demonibus mala opera non merentur poenam defectu divinae ordinationis.

Ad 2. N. Maj. Ultra enim condignitatem operis requiritur, quod Deus illi promiserit mercedem, ut probatum est. Ad 3. N. Cons. Quia operarii obsequia non sunt, ut suppono, aliunde debita domino. Unde hoc ipso quo dominus praecipit, aut ap-

approbat ejus laborem, censetur implicite pacisci de mercede; sedus, si præcipere servo, cujus opera sunt domini. Nos autem sumus servi Dei, & omnia nostra sunt ipsi pluribus titulis debita. Unde, si præcipere nobis bene operari sine promissione mercedis, non teneretur nobis illam retribuere. Ad hoc pactum multis innotescit explicite, omnibus implicite, quatenus omnes fideles docti, & indocti credunt, Deum esse remuneratorem alicujus boni supernaturalis, juxta illud Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

Quidam subtiliorem hic movent questionem, an ista promissio mercedis debeat esse extrinseca, & distincta ab ipsa collatione gratiæ; an sufficiat, quod sit intrinsece imbibita in ipsa collatione gratiæ ut est principium meriti? Vide, si lubet, præ, & contra Gonet, & Contenson; hanc enim subtilem speculationem, quia nobis prorsus inutilis videtur, omitimus.

Posset addi 7. conditio requisita ad meritum, scilicet influxus charitatis, de qua infra dicemus.

Quæri solet hic, an Deus meritis præmia retribuatur ex fidelitate tantum, aut gratitudine, an ex justitia commutativa, vel distributiva?

Resolutionem hujus quæst. habes in Tract. nostro de Deo Dissert. 8. art. 6. §. 2. Et ideo breviter nunc R. Deum præmia meritis retribuere, non ex fidelitate tantum, aut ex gratitudine, sed ex justitia, non commutativa, sed distributiva, servat tamen modum justitiæ commutativæ.

Prob. 1. pars ex illo 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Super quem locum S. Thom. lect. 3. dicit: *Coronæ justitiæ dicitur, quod Deus ex sua justitia reddit.* Item ex illo Hebr. 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Unde Aug. de nat. & grat. c. 2. *Non est injustus Deus, ut justos fraudet mercede justitiæ.* Vide insuper Concil. Trid. Sess. 6. cap. 16.

Ratio est; quia, licet promissio simplex inducat tantum obligationem fidelitatis, promissio tamen sub onere operis præstandi a promissario, inducit obligationem justitiæ; atqui Deus nobis promittit mercedem sub onere operis præstandi, si nempe ejus mandata servemus: ergo. Hinc D. Thom. hic art. 1. o. *Sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo est actus justitiæ; ita etiam recompensare mercedem operis, vel laboris est actus justitiæ.* Et 1. 2. q. 21. art. 3. *Meritum, & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quæ fit secundum justitiæ.*

Quantum ad gratitudinem evidens est, eam non habere locum in Deo, cum nihil recipiat ab homine, quod non sit suum; ipsique repugnet respicere hominem ut beneficentem & superiorem, quod proprium est gratitudinis.

Prob. 2. pars. Obligatio justitiæ commutativæ nascitur in uno ex communicatione, quam alter illi facit dando de suo, & non de re alterius; atqui homo nihil potest dare Deo, quod non sit ipsius Dei, & sub ejus dominio, etiam ipsa libera actio, seu communicatio. Unde Apost. Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuatur ei?*

Prob. 3. pars. Justitia distributiva est, quæ superior dat inferioribus, unicuique secundum suam dignitatem, & meritum, quod maxime convenit Deo.

Prob. 4. pars. Quia, licet retributio præmii in Deo deficit a ratione justitiæ commutativæ in hoc, quod homo nihil det Deo, quod non sit ipsius Dei; Deus tamen servat equalitatem meriti ad mercedem, in quantum tantum dat pro tanto, quod est modus justitiæ commutativæ. Hæc, & alia cum objectionibus fassus deducta require loco cit. in Tract. de Deo.

ARTICULUS II.

Utrum homo possit aliquid mereri a Deo?

Lutherani, & Calvinistæ, qui volunt hominem lapsum non justificari intrinsece, sed tantum denominative extrinsece per imputationem justitiæ Christi, & inde omnia ejus opera esse mala, negant consequenter ipsum posse aliquid bonum opus facere, quod sit meritum apud Deum, saltem vitæ æternæ. Falsum eorum principium Diss. preced. impugnavi, nunc alium errorem inde sequutum impugnaturus.

Dico: (Hic art. 1. o. & art. 3. o.) Homo justificatus potest verè & proprie a Deo mereri aliquid, etiam ipsam vitam æternam. Est de fide decisa in variis Conciliis, Arausic. 2. Can. 18. Lateran. sub Innocent. III. c. *Firmiter*; Trident. Sess. 6. c. 16. & Can. 32. Prob. 1. Ex Scriptura. Per meritum nihil aliud intelligimus, quam bonum opus comparatum ad mercedem; atqui Scriptura passim nobis proponit vitam æternam ut mercedem bonis justorum operibus reddendam: ergo. Prob. Min. Eccles. 8. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quia*

merces vestra copiosa est in calis. Ibid. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Cap. 19. Petro quærenti, quæ merces erit dereinquenti terrena pro Christo? Respondit Christus: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Cap. 10. Id explicat exemplo Patris-familias, qui in mercedem exigui laboris reddit operarius denarium diurnum. 2. Cor. 4. *Id, quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ... æternæ gloriæ pondus operatur.* Hebr. 13. Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostis promeretur Deus. Rom. 2. Reddet unicuique secundum opera sua, is, qui secundum patientiam boni operis gloriam querunt, vitam æternam. Matth. 25. Possidete Regnum, esurivi enim, & dedistis mihi manducare. 2. Tim. 4. Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus Judex. Hebr. 6. Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri. Ergo juxta Scripturam bonis justorum operibus promittitur, non qualecumque præmium, ut dicunt Sectarii, sed ipsa vita æterna, non ex sola liberalitate, & misericordia, ut dicunt alii, sed ex justitia, ideoque ut merito proprie dicto.

Quod autem ulterius reponit Calvinus 1. 3. Iustit. c. 18. Vitam æternam promitti quidem bonis operibus in Scripturis, ea tamen non esse meritoria, quia non sunt Deo digna, nec alicujus pretii apud ipsum, omnino falsum est, & aperte contrarium Scripturæ asserenti, opera justorum esse pretiosa apud Deum, isque sanctos effici dignos vita æterna. Psalm. 114. *Preiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Colos. 1. Ut ambuletis digne Deo in omni opere bono fructificantes. 2. Testal. 1. Passiones sustinentes, ut digni habeamini Regno Dei. Sap. 8. Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se.

A pluribus, cum Scripturæ, cum Patrum testimonio referendis supersedeo; quia, cui hæc non sufficiunt, plura non sufficient.

Prob. 2. Ratione. Deus confert homini per gratiam virtutem bene operandi, & ejus operibus ex gratia factis promittit certum præmium, imò & ipsam gloriam, ut modò dictum est, omnesque alie conditiones requisitæ ad meritum possunt concurrere, nulla enim repugnat; ergo potest homo mereri etiam ipsam gloriam. Prob. 3. ratione congrua. In omni Republica bene ordinata necessarium est, ut subditi spe præmii promoveantur ad bonam, & metu poenæ atqueant a malo; atqui Deus tam in ordine supernaturali, quam naturali est supremus & sapientissimus hominum gubernator: ergo necessarium fuit, ut hominibus proponeret præmia, quæ bene agendo mererentur; sicut præordinavit supplicia, quibus mala opera puniantur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Thom. hic art. 1. o. dicit inter Deum, & homines non esse justum simpliciter propter defectum equalitatis, sed secundum quid, & addit: *In quibus autem est secundum quid justum, & non simpliciter, in his etiam non simpliciter est ratio meriti, sed secundum quid.* ergo. R. S. Thom. per justum & meritum simpliciter non intelligit justum, & meritum verum, & proprium, sed perfectum, & secundum totum rigorem justitiæ, ita quod neutrum supponat aliquid gratis receptum in merente ab eo, apud quem meretur: Hominis autem ad Deum sic est justum, & meritum, ut supponat aliquid gratis acceptum a Deo; & ideo infert S. Doctor: *Unde hominis ad Deum non potest esse justitia secundum absolutam equalitatem.*

Obj. 2. Qui reddit, quod debet, non meretur mercedem; atqui bene operando facimus, & reddimus Deo, quod debemus. Unde Luc. 17. dicitur: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicit, servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus:* ergo. R. N. Maj. (Hic art. 1. ad 1.) Qui enim facit, quod debet, in quantum facit propria, libera, ac prompta voluntate, meretur laudem apud homines propter modum operandi, & posset aliquid aliud præmium mereri, si præcederet conventio de illo retribuendo his, qui promptè, & alacriter redderent, quod debent. Quantum ad verba Scripturæ, per hæc non evaeatur meritum boni operis, sed solam removetur vana gloria, ne scilicet bona opera, & eorum meritum nobis tribuamus, aut putemus per ea Deum nobis obligari, cum tamen ipse nihil nobis debeat, sed sibi ipsi secundum gratuitam suam ordinationem; & ideo, ut notat Chrysost. in hunc locum; Dominus non dicit, *servi inutiles estis:* sed, *dicit, quia servi inutiles sumus.*

Inst. 1. Etiam actio nostra ut libera, & prompta est a Deo, & illi debemus: ergo nec per illam mereri possumus. R. D. Conseq. Per illam mereri non possumus merito de toto rigore justitiæ. C. Merito vero, & proprio, supposita tamen ordinatione divina, N. Quamvis ergo ad meritum de toto rigore justitiæ requiratur: quod excludat omnem gratiam factam personæ merenti, ad meritum tamen verum, & proprium sufficit, cum or-

ordinatione divina, proportio operis ad præmium, etiam si supponatur gratia facta merenti.

Inst. 2. Qui apud aliquem meretur aliquid, constituit eum sibi debitorem; debitum est enim, ut aliquis merenti mercedem reddat: atqui Deus nulli est debitor: ergo. R. (Ibid. ad 3.) Quòd, cum actio nostra non habeat rationem meriti nisi ex præsuppositione ordinationis divinæ, non sequitur quòd Deus efficiatur debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatione impleatur.

Inst. 3. Ut actio sit meritoria apud aliquem, debet esse in ejus commodum & utilitatem, ut dictum est; atqui nihil possumus operari in commodum Dei: si enim justè egeris, quid ei donabis? Job. 35. R. D. Mia. (Ibid. ad 2.) Non possumus operari in commodum Dei velat intrinsecum, quasi ex operibus nostris aliquid accrescat Deo, C. In commodum velat extrinsecum, ad ejus scilicet gloriam exterius manifestandam, N. Et hoc sufficit ad rationem meriti.

Solvuntur Objectiones Hæreticorum.

Objiciunt 1. Hæretici. Omnia justorum opera coram Deo sunt peccata, aut certe variis peccatis admixta: ergo non merentur præmium, sed potius poenam. Prob. Ant. Isai. 46. dicitur: *Quasi panis menstruaveris omnes justitiæ nostræ.* Psalm. 129. *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit.* Psalm. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* ergo. R. N. Maj. Scriptura enim multa Sanctorum opera bona agnoscit & laudat. Ad probationem, locus Isaiæ non est ad propositum; ibi enim sermo est, non de operibus justorum, sed de Sacrificiis aliis observantibus legalibus Judæorum, qui se potius existimabant, eò quòd hæc exteriora servarent, dum interiora violabant. Ad alia loca cit. & similia sensus est, quòd nullus sit tam justus, qui identidem in aliquibus venialiter non delinquat, & hoc sensu indiget misericordia Dei condonante; sed hæc levità meritum aliorum bonorum operum non evacuant, si quidem cum illis stet charitas, quæ est plenitudo legis.

Instat ex Patribus Hieron. in dialogo contr. Pelag. dicit: *Tunc justus sumus, quando nos peccatores futemur, & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.* Aug. 1. 9. Confess. c. 13. *Væ etiam laudabili hominum vitæ, si remota misericordia judices eam:* ergo. R. hos & alios Patres passim asserere merita justorum, ut omnibus in eorum operum lectione versatis notum est. Neque id negat Calvinus, sed invenit in eos, qui sic docuerunt: & l. 3. Instit. c. 15. dicit, illum ex SS. Patribus, qui primus nomen meriti tribuit bonis operibus, pessimè consuluisset sinceritati fidei. Itaque his loquendi modis in objectione non intendunt SS. Patres expungere merita Sanctorum, sed volunt tantum merita nostra non esse ex nobis, sed nobis dari per gratiam Dei, quia perpetuo agemus, ut permancamus justis, eaque variis admisceri maculis, quæ continuo venia misericordie indigent, & ideo semper est in hac vita imploranda.

Urgent S. Greg. 1. 9. moral. c. 1. dicit *Omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspiciatur, si ab æterno arbitrio districte judicetur.* R. S. Gregorius per meritum virtutis nostræ intelligere meritum, quod ut suam sibi vindicat homo, non ut Dei donum. Patet ex titulo capituli, qui sic legitur: *Quod, qui vitæ perfectione se erigit: nec initium se habere ascendit: & ex his verba objecta præcedentibus: Qui accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat.* Plura alia testimonia tum Scripturæ, tum SS. Patrum, quæ objiciunt hæretici, lege si lubet apud Sylvium q. 18. hujus partis art. 1.

Objiciunt 2. Juxta Scripturam omnia sunt nobis donata in Christo: ergo ejus merita sufficiunt, & nostra superfluum: imò injuriam meritis Christi facimus, cum humana merita adstruimus. R. omnia nobis donata in Christo, non ut nihil agamus, sed ut quod agimus ex ejus meritis vim merendi habeat; est enim ipse nobis principium bene operandi & merendi. Unde Joann. 14. dicit: *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: Et omnem palmicem in me non ferentem fructum tollet eum Pater meus.* Tantum abest autem, ut merita nostra quicquam gloriæ Christi detrahant, quin potius eam magis attollunt, cum sit maxima Christi gloria, quin potius non solum potuerit pro se mereri, sed etiam quòd suis meritis nobis obtinuerit vim merendi.

Obj. 3. Vita æterna datur ex misericordia Dei & gratia: Rom. 6. *Gratia Dei vitæ æternæ.* Et idem Apost. Rom. 11. Ephes. 2. Tit. 3. affirmat, nos salvos fieri ex gratia; & non ex operibus: ergo. R. vitam æternam dici gratiam Dei, non quòd non sit merces bonorum operum, sed quia ipsa bona opera sunt gratis & misericorditer nobis data, atque ita vera gratia. Ità Aug. de corr. & grat. c. 13. *Sine ulla dubitatione congruitur Theol. Billuart. Pars Secunda.*

fitendum est, idè gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit hominibus. Dicitur etiam vita æterna gratia, quia gratitudò promissa est ut merces bonorum operum: *Promissum est ex misericordia,* inquit Bernard. in Tract. de grat. & lib. arb. *sed ex justitia solvendum.*

Instat. Si vita æterna sit verè merces bonorum operum, cur Apost. Rom. 6. sicut dicit *stipendium peccati mors*, non dicit similiter, stipendium bonorum operum vita æterna? R. cum Aug. Ep. 105. ita potuisse loqui Apost. sed abstintisse, ne de humano merito extolleretur, ac insuper quia opera bona non sunt ex se meritoria vitæ æternæ scèlssa Dei gratia & promissione, sicut peccatum est de se meritorium poenæ æternæ. Unde concludit S. Doct. *Quapropter, o homo! si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia.* Ad Apost. dicentem nos non salvos fieri ex operibus, sed ex gratia, respondet idem Aug. de grat. & lib. arbit. c. 9. intelligendum esse de operibus ex nobis factis, non per gratiam nobis datis; merces enim reddita meritis rectè dicitur gratia nempe gratia pro gratia, juxta illud Joann. 1. *Acceptimus gratiam pro gratia.*

Objiciunt 4. Vita æterna est hæreditas; atqui filius hoc ipso, quo sunt filii, debetur hæreditas, & non propter merita: ergo. R. vitam æternam esse simul hæreditatem & mercedem. Nec repugnat, ut hæreditas filiis præsertim adoptivis proponatur ut merces; tum quia est ipsis magis honorificum illam habere ex meritis, quam solo titulo hæreditatis; tum quia magis per hoc conformantur filio naturali, qui, cum esset hæres omnium, voluit tamen per merita pervenire ad gloriam corporis & nominis exaltationem.

Objiciunt 5. Illud Isai. 55. *Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac.* R. per vinum & lac non intelligi vitam æternam ut mercedem operum, sed gratiam, ex qua sunt opera, ut exponit Hieronymus.

Objiciunt tandem, nomen ipsum meriti non haberi in Scriptura, saltem in originali textu Hebræo & Græco. R. nomen ipsum meriti in originali textu exprimi quantum potuit juxta linguæ græcæ & hebræicæ proprietatem: quia, ut advertunt Interpretes, Græci & Hebræi non habent peculiarem vocem, quæ correspondet Latinorum merito, sed ad illud exprimentium utuntur periphrasi. Græci dicunt opus præmio dignum, Hebræi justitiam. Reddere autem aliquid secundum justitiam, vel reddere secundum opera, idem est ac apud Latinos reddere secundum merita. Verum, etsi nomen meriti non exprimeretur, sufficeret, quòd res per illud significata exprimeretur. Passim autem Scripturæ utuntur phrasibus, quæ meritum aperte significant, ut patet ex probationibus.

ARTICULUS III.

Utrum opera justorum, quæ sunt ex gratia, sint meritoria de condigno vitæ æternæ?

S. Thom. considerat hic opera justorum duobus modis. 1. Secundum substantiam, & prout sunt a libero arbitrio. 2. Prout sunt a gratia Spiritus S. seu a gratia inhabitante & movente: & dicit, quòd bona opera justorum primo modo spectata non mereantur de condigno vitam æternam, sed de congruo: secundo autem modo spectata mereantur de condigno. Et de hoc a. hic est quæstio. Sed circa 1. se offert difficultas, quomodo S. Thom. dicit, quòd opera justorum secundum substantiam, & ut sunt a libero arbitrio, mereantur de congruo gloriam, cum ipse supra q. 109. art. 1. & 6. expressè doceat hominem non posse per solas naturæ vires se præparare ad gratiam, a fortiori nec illam de congruo mereri: si tamen posset per solas naturæ vires mereri gloriam de congruo, quidni & gratiam?

Hunc nodum solvit Sylvius: dicendo S. Thom. per opera justorum secundum substantiam, & ut sunt a libero arbitrio, non intelligere opera ex solis viribus naturalibus, sed ex libero arbitrio moto a gratia actuali: quia loquitur S. Doct. generalitèr de operibus justorum, & ea considerat secundum substantiam; pleraque autem justorum opera etiam secundum substantiam non possunt esse per solas vires naturales sine auxilio gratiæ, cum sint supernaturales, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, ut sunt actus fidei, spei, & præceptorum hujusmodi supernaturalium: Opera autem justorum facta ex auxilio gratiæ, etsi sine influxu gratiæ habitualis & charitatis, possunt de congruo mereri gloriam.

Alitèr hunc locum interpretatur Joannes a S. Thom. Observat in primis meritum de congruo posse sumi dupliciter; uno modo congruitate fundata in opere habente aliquid jus non proprium & adæquationis, sed convenientiæ; alio modo congruitate fundata in Dei magnificentia. Et dicit, quòd congrui-

per conjuncta cuilibet actioni, quae dirigitur in aliquem finem proximum, sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur; sicut fit, quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit.

Obj. 4. Si nullus actus virtutum sit meritorius sine charitate: ergo charitas sola meretur, sique superfluae aliae virtutes. R. N. Sequelam: Charitas enim in merendo se habet ad alias virtutes, sicut causa universalis ad particulares. Unde, sicut causa universalis non impedit causalitatem causarum particularium, sed complet; ita, licet omnes virtutes habeant efficaciam merendi a charitate, singula tamen merentur sub eius influxu. Pro Corollario observandum, quod, cum meritum admittat latitudinem, sit majus vel minus meritum, secundum quod charitas plus, vel minus, proximitas, vel remotius influat in opus.

ARTICULUS V.

De his, quae cadunt sub merito.

Præter vitam æternam, quæ, ut patet ex dictis, est obiectum essentialis meriti, de pluribus aliis querit S. Thom. in sex articulis sequ. utrum cadant sub merito. 1. Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam? 2. Utrum possit illam alteri mereri? 3. Utrum possit mereri reparationem post lapsum? 4. Utrum possit sibi mereri augmentum gratiæ? 5. Utrum perseverantiam finalem? 6. Utrum bona temporalia? Quæ omnia sequ. breviter resolvemus.

Sed ante omnia, ut tollatur æquivocatio, & quedam opiniones contrariæ circa meritum de congruo concilietur, observandum, nos distinguere ex Auctore hic art. 6. o. duplex meritum de congruo, unum proprium & strictum, alterum latum & improprium. Meritum de congruo proprium & strictum reponitur in jure amicabile ad præmium, per quod distinguuntur a merito de condigno, quod importat debitum justitiæ. Meritum de congruo latè & improprie sumptum reponitur in exigentia formæ per modum dispositionis, aut imperationis. Quidam autem confundunt utrumque hoc meritum de congruo; unde oritur discordia inter nos & ipsos, dum ipsi dicunt quaedam cadere sub merito de congruo, quod nos negamus: sed ut patet, est controversia de nomine tantum, & ex diversa intelligentia meriti de congruo.

§. I. Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam?

Deo: nemo potest sibi mereri primam gratiam habitalem, neque de condigno, neque de congruo proprio, sed improprio tantum. (Prima part. hic art. 1. o.)

Dicitur: Primam gratiam habitalem; quia de actuali nullus Catholicus dubitat. Itaque definitum est contra Pelagianos, quæ definitionem innovat Trid. Sess. 6. c. 5. & patet ex his, quæ supra diximus, nullum ex viribus nature nequidem posse se dispo- nere ad illam primam gratiam actualem.

Prob. 1. pars, quæ etiam videtur de fide. 1. Ex Scriptura. Rom. 2. Justificati gratis per gratiam: Et ex Conc. Trid. Sess. 6. c. 8. ubi exponens præfata Apost. verba dicit: Gratia justificandi ideo dicitur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.

Prob. 2. ratione. Donum (Ibid.) gratiæ considerari potest dupliciter. Uno modo secundum rationem gratuiti doni; & sic manifestum est, quod omne meritum repugnat gratiæ; quia ut ad Rom. 11. Apost. dicit: Si autem gratia, jam non ex operibus. Alio modo potest considerari secundum naturam ipsius rei, quæ donatur, & sic etiam non potest cadere sub merito non habentis gratiam; tum quia excedit proportionem naturæ; tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum. Postquam autem aliquis jam habet gratiam, non potest gratia jam habita sub merito cadere; quia merces est terminus operis, gratia verò est principium cujuslibet boni operis in nobis. Et hinc confirm. Quia principium meriti non potest cadere sub merito; atqui prima gratia est principium meriti: ergo.

Dices: Actus contritionis, ultimum disponens ad gratiam, illam præcedit; & cum aliunde sit actus charitatis, quæ principialiter est meritoria, nihil videtur illi deesse, ut mereatur illam gratiam. R. actum contritionis ultimum disponentem ad gratiam, sive ab habitu gratiæ, aut charitatis procedat, sive ab auxilio actuali, non habere rationem meriti, nisi quatenus informat gratia: propterea autem præcedit gratiam, nondum intelligitur informatum gratia, sed est actus hominis nondum Deo grati, & in peccato adhuc existentis, ideoque incapax meriti. Vide art. penultimum præced. Dissertat. §. 4.

Inst. Deus promittit gratiam justificationis illi, qui toto corde convertitur ad ipsum, juxta illud, Convertimini ad me, et ego convertar; atqui bonum promissum sub conditione operis est ejus præmium, sique respectu illius opus est meritorium: ergo. R. D. Min. Bonum promissum sub conditione operis est ejus præmium, & opus respectu illius est meritorium, si operans sit in statu merendi, C. Secus, N. Tunc enim opus non potest habere nisi rationem dispositionis, aut imperationis, cui bonum promissum erit reddendum ad summum ex fidelitate, non ex justitia. Porro homo ante gratiam justificantem, cum sit in statu peccati, non est in statu merendi.

Subsumes; atqui se convertenti ad Deum gratia datur ex justitia, juxta illud 1. Joann. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus, ut illa, remittat: ergo. R. S. Joannem sumere justitiam latiori sensu pro executione promissionum, quo sensu dicitur Ps. 50. Ut justificeris in sermonibus tuis, id est, ut videaris fidelis in promissis. Vel intelligit justitiam respectivè ad Christum, qui verè meruit nobis remissionem peccatorum: unde subdit: Si quis peccaverit, advocatum habemus Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Insistes: Deus non dat gratiam nisi dignis; atqui non dicitur aliquis dignus aliquo beneficio, nisi qui ipsum meruit de condigno: ergo. R. equidem Deum non dare gratiam nisi dignis, non ita tamen quod prius digni fuerint, sed quia ipse per gratiam eos facit dignos, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine. (Ibid. ad 2.)

Si petas: utrum saltem homo per bona opera subsequenti non possit mereri gratiam prius sibi datam intuitu istorum bonorum operum subsequenti, sicut videmus v. gr. quod miles arma prius sibi data a Rege intuitu meritorum, subsequenti, illa mereatur per bonum usum illorum? R. negativè. (Ibid. ad 3.) Disparitas est, quod gratia ipsa tribuit bonum sui usum, sit ideo principium adequatum meriti; unde cadere non potest sub merito. At arma non dant, sed expectant ab industria & animo militis bonum sui usum & ejus meritum; unde, cum non sint principium adequatum meriti, possunt cadere sub merito. Prob. 2. pars Conclusionis: Meritum de congruo propriè sumptum consistit, ut diximus, in jure amicabile ad præmium, unde ad illud requiritur, non solum congruitas operis, sed etiam operantis, ut scilicet sit gratiæ præmiandi, non illi infensus, nec ejus beneficiis indignus, qualis est tamen homo in statu peccati ante justificationem: ergo.

Et iste modus loquendi videtur conformior Scripturæ, dicenti impiam gratis justificari; & Concilio Trid. generaliter statuenti, opera justificationem præcedentia illam non mereri; hic enim videtur excludi meritum proprium de congruo; nam quod propriè mereatur de congruo, non dicitur propriè gratuitum, & dari absquè merito. Et etiam conformior Auctori, qui absolute statuit hominem non posse sibi mereri primam gratiam, non distinguens inter meritum condignum & congruum; quod fecisset, si putasset hominem posse sibi mereri primam gratiam de congruo, sicut distinguit art. sequenti, ubi querit, an justus possit mereri alteri primam gratiam.

3. Pars constat. Quia opera bona præcedentia justificationem & orationes peccatoris humilitati & poenitentis exigunt gratiam per modum dispositionis & imperationis, in quo reponimus meritum de congruo latè sumptum. Et de hoc merito intelligendus est Aug. dum Tract. 44. in Joann. dicit, quod confessio Publicani meruit justificationem: & Ep. 15. Quod ipsa peccatorum remissio non sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, nec enim nullum est meritum fidei. Non enim Aug. hic & alibi tribuit illud meritum personæ, sed operi, ut innuit esse quidem aliquam congruitatem ex parte operis, quod est meritum de congruo latè; sed deesse congruitatem ex parte personæ ob statum peccati, quæ tamen congruitas requiritur ad meritum de congruo propriè.

§. II. Utrum justus possit alteri mereri primam gratiam?

Deo: Nullus præter Christum potest alteri mereri primam gratiam de condigno; bene tamen de congruo. (Ibid. art. 6. o.) Prob. 1. pars. Opus nostrum habet rationem meriti de condigno ex vi motionis divinæ gratiæ; & sic homo justus ea tantum propriè & de condigno meretur, ad quæ se extendit motio divinæ gratiæ; atqui gratia puro homini collata est particularis, ipsaque movet ad propriam perfectionem & salutem, non verò ut alios sanctificet; id namque proprium est gratiæ capitis & universalis, qualis fuit in Christo, quæ secundum præsentem providentiam nulli particulari justo conceditur: ergo. (Ibid.)

Prob.

Prob. 2. pars. (Ibid.) Quia, cum homo in gratia constitutus, Deo gratiæ & amicis implet ejus voluntatem, congruum est secundum amicitiam proleptam, ut Deus implet voluntatem hominis in salvatione alterius; modo tamen non adsit impedimentum nimis obstinationis, aut aliud ex parte illius, cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat.

§. III. Utrum homo justus possit sibi mereri reparationem post lapsum?

Deo: Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum, neque merito condigni, neque merito congrui propriè. (Ibid. art. 7. o.)

Prob. 1. pars. (Ibid. in arg. s. c.) 1. Ezech. 18. dicitur: Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: ergo nihil valebunt ei præcedentia merita ad hoc quod resurgat, alioquin valde utilis & magna haberetur recordatio. 2. (Ibid. o.) Meritum de condigno dependet ex motione divinæ gratiæ, ideoque non se extendit ultra illam; atqui ista motio interruptur per peccatum, sique non se extendit ad beneficia peccato posteriora: ergo. Confirm. 1. Omnia merita, quæ justus sibi comparavit, suspenduntur & impediuntur per peccatum sequens: ergo hoc peccatum vi istorum meritorum non potest tolli, nec per consequens homo lapsus reparari. Confirm. 2. Homo justus non potuit mereri, ut præmium conferretur indigno; atqui homo lapsus est indignus: ergo. Confirm. 3. Si justus mereretur de condigno reparationem post lapsum, illam infallibiliter obtineret, sique omnes justii essent prædestinati, utpotè finaliter ad gratiam restituendi: ergo.

Prob. 2. pars. Meritum de congruo propriè sumptum importat jus amicabile ad præmium, ita ut non sit tantum congruitas & aptitudo ex parte operis, sed etiam operantis; atqui justus non habet jus amicabile ad reparationem post lapsum, quia per peccatum perditur Dei amicitia, fit indignus ad divina beneficia, ideoque suspenditur omne meritum præcedens sive condigni, sive congrui.

Dices 1. Justus utiliter orare potest, ut si cadat, resurgat; juxta illud Ps. 70. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine: ergo confert ejus oratio, ut resurgat, sique de congruo saltem mereri potest. 2. Homo potest alteri mereri de congruo reparationem post lapsum: ergo a fortiori sibi; magis enim prosunt homini opera sua; quam alteri. 3. Homo justus potest mereri sibi vitam æternam; sed ad vitam non pervenitur nisi per gratiam: ergo. R. ad 1. (Ibid. ad 1.) D. Consequens: ergo confert ejus oratio per modum meriti de congruo propriè, quod in jure amicabile fundatur, N. Per modum imperationis, quæ in sola Dei liberalitate & misericordia fundatur, quod est meritum de congruo latè, C. Ad 2. N. Conseq. (Ibid. ad 2.) Disparitas est, quod, dum justus meretur pro altero, non est impedimentum ex parte merentis, quale est futurum, si peccando mortificet sua opera. Ad 3. Equidem justus per actum charitatis meretur absolute vitam æternam; sed per peccatum sequens ponitur impedimentum, præcedenti merito, ut non soriat suum effectum. (Ibid. ad 3.)

Ceteraque, quæ opponi possunt contra 2. partem, intelligentia sunt de merito congrui, improprie & latè sumpto pro congruitate & aptitudine ex parte operis, non ex parte operantis, qui peccando amittit jus amicabile ad reparationem, & se reddidit indignum divinis beneficiis.

§. IV. Utrum homo justus possit sibi mereri augmentum gratiæ, vel charitatis?

Deo: (Ibid. art. 8. o.) Homo potest sibi mereri de condigno augmentum gratiæ vel charitatis, juxta illud Aug. Tract. 5. in Epist. Joann. Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. Itaque definit sub anathemate Concil. Trident. sess. 6. Can. 32. & constat ex Scriptura, quæ toties nos hortatur ad illud augmentum per bona opera consequendum; ut Ephes. 4. & alibi. Ratio est: (Ibid.) Quia illud sub merito condigni cadit, ad quod motio Dei se extendit; motio autem alicujus movens non solum se extendit in motu; atqui terminum motus, sed ad totum progressum in motu; atque terminus motus gratiæ est vita æterna, progressus verò in hoc motu est secundum augmentum gratiæ, vel charitatis, secundum illud Prov. 4. Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem, qui est dies gloriæ: ergo.

Dices: Id, quod cadit sub merito; meretur homo per quemlibet actum a gratia, vel charitate procedentem, sicut per

quemlibet talem actum meretur vitam æternam. Si igitur augmentum gratiæ & charitatis cadat sub merito, videtur, quod per quemlibet actum charitate informatum homo mereatur augmentum gratiæ; & cum id, quod homo meretur, infallibiliter consequatur, sequitur, quod per actus etiam remissos mereatur augmentum gratiæ & charitatis, quod videtur inconveniens: ergo. R. quod, quamvis quomodolibet fiat augmentum gratiæ, non sit ita compertum, Auctor tamen hic (Ibid. ad 3.) absolute resolvit, quod quolibet actu meritorio homo meretur augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna: sed, sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum.

§. V. Utrum homo possit sibi mereri donum perseverantiæ finalis?

Per perseverantiam finalem hic intelligimus permanentiam in gratia usque ad mortem, seu conjunctionem status gratiæ cum morte. Unde donum perseverantiæ finalis est illud speciale & magnum donum, quo fit, ut homo in statu gratiæ permaneat usque ad mortem; & de illo queritur, utrum cadat sub merito?

Dico: Nemo potest mereri de condigno perseverantiæ donum. Ita omnes Catholici cum Auctore. (Ibid. art. 9. o.) Colligitur ex Scriptura, Philipp. 2. dicente: Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Non dicit pro meritis, sed pro bona voluntate. Ita quod, sicut initium, ita finalis perseverantia sit a solo Deo. Item colligitur ex Trid. Sess. 6. cap. 13. ubi de dono perseverantiæ dicit: Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveraverit stet, & eum, qui cadit, restituere. Quod autem meretur homo, etsi principialiter sit a Deo, non dicitur tamen esse a solo Deo, sed ab homine per sua merita.

Prob. 1. ex principio Auctoris, (Ibid. o.) ab omnibus recepto. Principium meriti non cadit sub merito operis ab ipso principio procedentis; nihil enim potest esse sui ipsius meritum & præmium, causa & effectus; atqui, si perseverantiæ donum caderet sub merito, principium meriti caderet sub merito operis ab ipso principio procedentis: ergo. Prob. Min. Donum perseverantiæ consistit in divina motione conservativa gratiæ primam datæ; atqui motio divina ut conservativa gratiæ est principium meriti, seu se tenet ex parte principii: ergo. Prob. Min. Motio divina ut conservativa gratiæ est eadem entitativè ac prima productio gratiæ; conservatio enim rei est continuata ejusdem productio; consequenter actio conservativa rei non distinguitur entitativè a prima ejus productione, dicente Auctore 1. p. q. 114. art. 1. ad 4. Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, quæ dat esse... sicut etiam conservatio luminis in aëre est per continuatum influxum a sole; atqui prima productio gratiæ est principium meriti, seu se tenet ex parte principii. Itaque, sicut nemo potest mereri suam conservationem, quia conservatio non est actio distincta a creatione, quæ non cadit sub merito, ita nemo potest mereri perseverantiam in bono, quia nihil est aliud, quam gratiæ conservatio, quæ non distinguitur a prima ejus productione, quæ non cadit sub merito, ut probatum est supra.

Prob. 2. (Ibid. in arg. s. c.) Omne, quod quis meretur de condigno, illud a Deo obtinet infallibiliter, nisi impediatur per peccatum: Si ergo perseverantia caderet sub merito, cum vix ullus justus sit, qui non habeat opera meritoria, vix ullus esset, qui non haberet donum perseverantiæ, contra illud: Multi vocati, pauci electi. Neque dici potest multos justos ideo non perseverare, quia per peccatum amittunt meritum, quo sibi donum perseverantiæ meruerant. Hoc ipsum enim quod peccare opponitur perseverantiæ; ita quod, si aliquis quod perseverantiam mereretur, Deus non permitteret illum cadere in peccatum. Neque etiam dicas, inde probari justum non posse mereri donum perseverantiæ per communia opera meritoria; at non probari, quod non possit illud mereri per quaedam excellentia merita, vel multorum meritorum cumulum: tum quia, si per quodlibet opus meritorium homo meretur vitam æternam & augmentum gratiæ, non esset ratio; cur similiter non mereretur perseverantiam, si illa caderet sub merito: tum quia constat plures eximie sanctos, multis & excellentibus meritis donatos, eam non obtinisse.

Prob. 3. Ad meritum de condigno requiritur promissio Dei, seu pactum reddendi mercedem pro opere; atqui Deus nulli promissit perseverantiam bene operantibus: quin e contra clamat Scriptura, etiam justos debere eum metu & tremore ope-

operari suam salutem, & eum, qui stat, debere esse sollicitum, ne cadat: ergo.

Obj. 1. Qui potest mereri majus, potest & minus; atqui justus potest mereri de condigno vitam æternam & in ea perseverantiam, item & augmentum gratiæ, quæ sunt quid majus ipsa perseverantia viæ: ergo. R. D. Maj. (*Ibid. ad 2. & 3.*) Qui potest mereri majus, potest & minus, cæteris paribus, C. Cæteris imparibus, N. Disparitas autem hic est, quod tam vita æterna & in ea permanentia, quam augmentum gratiæ comparentur ad motum meritum liberi arbitrii, proinde ad gratiam, quæ est hujus motus meritorii principium, ut terminus; non autem donum perseverantiæ, quod, ut dictum est, non distinguitur ab illa prima gratia, quæ est principium meriti, ideoque respectu illius non habet rationem termini.

Inst. Qui potest mereri finem, potest mereri media necessaria ad illum; atqui perseverantia est medium necessarium ad vitam æternam: ergo. R. 1. N. Maj. universaliter sumptam. Merita namque sunt media necessaria ad vitam æternam promerendam, & tamèn merita non meremur. Sufficit ergo, quod media ad finem consequendum necessaria possimus habere, etsi non semper possimus ea mereri; vel quia non sunt proposita tanquam merces, vel quia aliud obstat. R. 2. N. Min. Perseverantia enim est quiddam necessaria ad consecutionem vitæ æternæ, non verò ad illam merendam. Homo ergo justus per bona opera, independentèr a perseverantia, meretur absolute vitam æternam, non tamèn meretur absolute ejus consecutionem, sed, *si in gratia decesserit*, ut dicit Trid. Sess. 6. c. 16. & Can. 32.

Repones: Justus per bonum opus præsens potest mereri auxilium efficax ad bonum opus sequens, & sic usque ad finem: ergo potest mereri donum perseverantiæ. Idem argumentum fieri potest de augmento gratiæ, quod justus potest mereri. R. Omissio Ant. N. Conseq. Etsi enim justus per bonum opus præsens mereatur auxilium efficax ad opus sequens, illud tamèn non obtinet infallibilitèr, nisi in quantum perseverabit in gratia; quod autem perseveret in gratia, mereri non potest, quia istud donum se tenet ex parte principii meriti; ut dictum est. Eadem est responsio ad argumentum de augmento gratiæ. Omissio Ant. Non enim omnibus probatur auxilium efficax cadere sub merito; nulli enim habetur, quod sit propositum ut præmium meriti, & aliud est, de quo dicit Aug. quod cui datur, ex misericordia datur; cui non datur, ex justitia non datur.

Obj. 2. Illud, quod homo obtinet petendo, potest cadere sub merito habentis gratiam; atqui perseverantiam petendo homines obtinent, alioquin frustra peteretur a Deo: ergo. (*Ibid. ad 1.*) R. N. Maj. universaliter sumpta; non enim omnia, quæ petendo obtinemus, meremur. Sic Deus audit peccatores, peccatorum veniam petentes, quam non merentur, ut dicit Aug. Tract. 44. in Joann. Igitur perseverantiæ

donum aliquis petendo impetrat vel sibi, vel alteri, quamvis sub merito non cadat. Sunt verba Auctoris. Et hinc præoccupatur instantia, scilicet: Justus potest alteri mereri perseverantiam: ergo & sibi. Negat enim Ant. Auctor. Et dato quod hoc posset, non foret meritum sui de congruo, & foret adhuc disparitas, quod perseverantia alterius non se teneret ex parte principii meriti in illo, cui meretur, secus propria perseverantia.

Utrum verò donum perseverantiæ cadere possit sub merito, saltèm de congruo? dissentiunt Auctores, etiàm Thomistæ. At si intelligatur de merito congruo proprie strictè sumpto, videtur conformis principiis & menti D. Thom. donum perseverantiæ non posse cadere sub illo, sed tantum sub merito congruo late & improprie. 1. Quia non minùs repugnat principium meriti cadere sub merito de congruo proprie & strictè, quam sub merito de condigno. 2. Quia meritum de congruo strictè infallibilitèr etiàm obtinet mercedem; cum enim fundetur in jure amicitia, Deus non denegat homini, quæ ipsi secundum leges amicitia sunt debita, ex quo ut ex merito de condigno sequeretur, omnes ferè justus fore perseverantes.

Restat ergo, justum posse mereri donum perseverantiæ merito de congruo late sumpto pro interpretatione fundata in liberalitate & benignitate Dei. Et hoc sensu intelligendus est Aug. dum dicit de dono persever. c. 6. *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest*, ut innuit Tô suppliciter.

§. VI. Utrum bona temporalia cadant sub merito?

Dico: (*Ibid. art. 10. o.*) Si bona temporalia considerentur, prout sunt utilia ad salutem, cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiæ, & omnia illa, quibus homo adjuvatur ad vitam æternam consequendam; quia in bonis operibus comparatis ad bona temporalia sic considerata possunt reperiri omnes conditiones requisitæ ad meritum, & respectu illorum operum habent rationem termini.

Si verò bona temporalia considerentur secundum se, cum non sint bona simpliciter, sed secundum quid, ita nec cadunt sub merito simpliciter, quod respicit solam vitam æternam, & ea, quæ ad illam conducunt; sed sub merito secundum quid, quatenus, attenda Dei bonitate & liberalitate, congruum aliquo modo videtur, quod operibus moraliter bonis bonum aliquod redeat ejusdem ordinis. Undè Aug. l. 7. de Civit. c. 15. observat, Romanis propter quosdam bonos eorum mores mercedem temporalem fuisse redditam. (*Ibid.*)

Digressiones historicas omissimus in hoc tractatu, quia prima Dissertatio tota est historica. Sint ergo huc usque dicta

In Laudem Gloriæ Gratia Dei. Ephes. 1.

Excipiuntur Cujusdam Scrupuli circa ea, quæ docui in Tractatu de Deo.

Paucis ab hinc diebus pervenit ad me Thesis propugnata in Seminario Gandensi 19. Augusti anni 1784. Præside R. P. Carolo de Bierenis Soc. Jesu, S. Theologiæ Professore. Positione 4. De Gratia sub finem conqueritur Erudit. Theseos Auctor, me systemati scientiæ mediæ affricuisse, quod hominis libertas sit emancipata & a Deo independens; quod se solis naturæ viribus discernat; quod gratia solum moralitèr moveat voluntatem, & quod a libero arbitrio præventatur, non satis memorem Religiosæ modestiæ, quam mihi in Præfatione operis proposueram: deinde petit, ut edicam ipse, quo fine hæc prælagi Tyronebus in Scholis nostris cupiam? alias subinde quæstiones facit.

Ut itaque querelis ac votis, veritatis dicam scrupulis, Religiosi viri satisfaciam; in primis hæc affricui, sub aliqua tamèn distinctione, systemati scientiæ mediæ more Theologico, arguendo & probando. Utrum evicerim, Lectoris est judicare. In quo si immodestie sim arguendus, eadem tamen notandi sunt quotquot disputant in Scholis, sed & maxime qui quotidie arguunt, systema Thomisticum evertere libertatem, Deum constituere Auctorem peccati, &c. Ad Petitionem, R. Me cupere hæc prælegi in Scholis nostris eodem fine, quo Theseos Auctor impugnat in suis systema Thomisticum.

Petit 2. Quia fiducia citem pro me Par. 1. de Deo Commentaria in Ep. ad Hebr. tanquam D. Thomæ essent, contra antiquiores nostros Trivetum & Natalem Alex? R. Me ita citare fiducia veritatis: quia verè hæc Commentaria sunt

D. Thomæ. Ità testantur Antiquiores, Bernardus Guidonis, Clemens VI. Pignon, Ludovicus a Velleolei, S. Antoninus apud Echard. Tom. 1. pag. 330. contra Trivetum, cujus solius testimonio nititur Natalis Alex. Sed & ipse & Trivetus agnoscunt, si hæc Commentaria a S. Thom. non fuerint scripta, ex ejus saltèm Lectionibus fuisse collecta.

Petit 3. Quia fidelitate trunco S. Thomam Quodlib. 12. art. 4. R. Non esse infidelitatem, nec reprehensibilem truncationem, quando verba omnia nec prosunt, nec obsunt, & germanus Auctoris sensus servatur, ut hic contigit. Dixerit enim S. Thomas: *Sic prædestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, que non potest falli, & ex parte voluntatis, cui non potest aliquid resistere.* hæc verba. *Ex parte scientiæ Dei*, nihil nobis nocent, nihil objurganti prosunt: quia S. Doctor non loquitur de scientia prævia decreto, sed illi innixa; loquitur enim de scientia visionis, quæ secundum omnes supponit decretum. Patet ex responsione ad 1. ibid. ubi S. Doctor dicit, quod scientia Dei non imponat necessitatem Prædestinationis, quia est futurorum, prout sunt in præsentibus (scilicet æternitatis) & secundum hoc sunt determinata: hujusmodi autem scientiam esse visionis, nemo necit.

Petit 4. Quia Latini sermonis peritia in Textu Aug. per Tô discernendum intelligo conciliandum? R. me non substituisse in textu Aug. conciliandum pro discernendum, neque ex Tô discernendum præcisè intellexisse conciliandum, ut vellet innuere peritus Theseos Scriptor; sed ex toto textu Aug. l. de

l. de Grat. Christi c. 47. & ex altero de Dono Persever. c. 14. collegi cum innumeris aliis, conciliationem liberi arbitrii cum gratia visam fuisse difficilem Augustino S. Doctoris verba iterum oculis & judicio Lectoris subijcio, *Ista quæstio*, inquit 1. loco, *ubi de libero arbitrio voluntatis & de gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando descenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Et 2. loco Numquid, inquit, *ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendendi non potest quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicuum; non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire? Quis Latini sermonis tantillum peritus mecum ex his non intelligit, Augustinum apprehendisse difficilem & obscuram liberi arbitrii cum gratia conciliationem? Id ita apertum est, ut sapientissimi Lovaniensis operum Aug. Editores, ad textum de Gratia Christi, ponant pro nota marginali: *Liberi arbitrii & gratia Dei concilianda difficultas.* Idque vel invitus ipse objiciens*

sua explicatione significat; si enim, ut dicit, ex libertate asserta Pelagiani, & ex gratia asserta Manichæi argumenta depromebant, illi contra gratiam, isti contra libertatem; difficile est igitur, utramque defendere & conciliare.

Tandem quasi palmaria protulisset, R. P. Præses suæ Censuræ Colophonem imponit his verbis: *Quid plura? Hæc enim sufficiunt, ut meritò subjiciatur, quod ipse eximio viro Honor. Tournello applicat.* Ita sit, lubens annuo. Hæc cum meis responsis sufficiant, ut mihi & alli applicetur: *Ex ungue leonem.*

Hoc Scrupulos ac vitiligationes alto silentio præterissem, nisi me movisset nomen Illustrissimi Patroni mei, cui hæc Thesis est dicata, & in cujus Seminario fuit propugnata. De cætero, qui opus meum impugnare voluerit, quod cuique liberum est, graviora proponat, libros libris opponat, non Theses, non folia errantia, non privata Scholarum scripta. Hæc enim responso non dignabor, sed sub obscuritati & leviati dimittam.